

06926

1892 s.



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXII

USQUE AD DIEM XV. AUGUSTI ANNI MDCCCLXXXII

INSTITUENDARUM.

---

PRAECEDIT PROF. DR. FRANC. DITTRICH COMMENTATIO:  
MISCELLANEA RATISBONENSIA a. 1541.

---

BRUNSBERGAE.  
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).  
1892.



# MINISTERIUM DER


LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSI

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIAŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU



1943:202

AKADEMISCHE  
VERLAGSGESELLSCHAFT  
GOTTFRIED LITZELSTEINER

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
RECTOR ET SENATUS  
CIVIBUS SUIS  
S.

---

Miscellanea Ratisbonensia

a. 1541.

Postquam Lenzius<sup>1)</sup> nuper eam libri, qui vocatur, Ratisbonensis formam, quae a theologis quibusdam utriusque partis Wormatiae concordata<sup>2)</sup> et a. 1541 Ratisbonae de religione colloquentibus veluti fundamentum disputandi a Caesare exhibita est, publici iuris fecit atque ita theologorum oculos denuo ad colloquium illud memorabile convertit, liceat et mihi ex tabulariis scholae quondam episcopalis Zicensis quae ad illustrandum hoc ipsum colloquium apta atque idonea esse videntur, in medium proferre. Inter chartas enim Iulii Pflugii in bibliotheca Zicensi asservatas tria potissimum mihi obvenerunt memoratu haud indigna: nova quaedam hucusque ignota forma articuli V. libri Ratisbonensis, controversia Ioannem Eckium inter et Cardinalem Contarenum Iuliumque Pflugium de articulis in colloquio conciliatis, consilium quoddam Iulii Pflugii de reformatione Misnensis et Zicensis ecclesiae Legato Pontificio exhibitum atque ab hoc ipso notis illustratum. Quae quamvis non omnino ignota fuerint ad hunc usque diem<sup>3)</sup>, tamen quanti ponderis ac momenti sint ad res colloquii Ratisbonensis recte cognoscendas atque dijudicandas, nondum satis innotuit.

1. Exstat in bibliotheca Zicensi inter „Acta Ratisbonensia“ scriptum quoddam sat prolixum (12 fol. in 4) his verbis manu Pflugii insignitum: „Gropperi haec sunt“. Quod si accuratius inspiceris et perlustraveris, mira eius cum articulo V. libri Ratisbonensis similitudo te non effugiet. Quae

1) Publicationen aus den K. Preuss. Staatsarchiven XXXXVII: Briefwechsel Landgraf Philipps von Hessen mit Bucer. III. Theil. Leipzig 1891.

2) H. Schaefer, de libri Ratisbonensis origine atque historia. Euskirchenae 1870.

3) Cfr. A. Iansen, de Iulio Pflugio ejusque sociis . . . et ecclesiae concordiae et Germaniae unitatis studiosis. Berolini 1858. p. 28, 29, 30. — Eiusdem auctoris: Julius Pflug. Ein Beitrag zur Geschichte der Kirche und Politik Deutschlands im sechzehnten Jahrhundert. (Neue Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen X, 2. p. 33 seq.) L. Pastor, kirchliche Reunionsbestrebungen (Freiburg 1879) 246, 269.

autem inter utrumque documentum ratio intercedat, facile perspicitur. Non est scriptum Zizense mere transumptum ex libro Caesariano, quia multa in eo desiderantur, quae hic inveniuntur, ita ut vix dimidiam partem articuli V. contineat. Neque etiam epitome est ex articulo illo sat longo excerpta, quia occurunt in eo loci aliquot, qui in libro Ratisbonensi minime reperiuntur. Est igitur revera nova forma illius articuli eaque contracta eumque in finem concinnata, ut quae illuc magna verborum copia parumque ordinate explicata sunt, in breviorem hic clarioremque formam atque meliorem ordinem redigerentur. Unde quae superflua esse videbantur, omissa, quae prolixiora, contracta paucaque ad rem melius declarandam adiecta et, ut clariora omnia ac dilucidiora fierent, singulis partibus argumenta praemissa sunt.

Notum est, collocutores articulum V. libri sibi propositi ut nimis copiosum et amplum unanimi fere consensu reiecerint. Ita enim Melanchthon in sua de libro sententia: „Venum est, inquit, ad locum de iustificatione, ubi cum liber neque Eccio neque mihi placeret, coepimus libere disputare de summa rei“<sup>4)</sup> Cui assentitur Eckius his verbis: „De fide iustificante cum adeo perplexa et falsa scripsisset (sc. auctor libri), ut colloquendo non possemus convenire, ego Eckius incepi extra librum tractare illum articulum.“<sup>5)</sup>

Deinde collocutores partis catholicae novam proposuerunt formulam,<sup>6)</sup> quae tamen ab altera parte reiecta est. Hanc autem formulam a collocutoribus catholicis oblatam eam esse suspicor, quae in chartis Pflugianis exstat. Composuit hanc formulam, ut Iulius Pflugius testatur, locuples imprimis ac fide dignus testis, Gropperus, qui solus eam exarare potuit, quia solus in manibus habere potuit librum Caesaris, quem Granvellanus in sua custodia tenuit, quem ipse in colloquium attulit neque in cuiusquam manus pervenire passus est.

Verum quidem, iam antea genuinam libri Ratisbonensis formam plures mutatam et emendatam fuisse, primum Contareni et Gropperi opera, deinde in concilio theologorum catholicorum. Granvellanus enim librum Contareno Legato ac Morono Nuntio detulit simul Gropperum deducens, ut iuncta cum ipso opera facilius percurrenter expenderentque volumen. Pervolare librum Legatus et Nuntius unaque Gropperus, cumque Contarenus locos plus quam viginti deprehendisset, quos correctione egere existimabat, Gropperus non solum paratum se ostendit emendare, quae Legatus notaverat, sed statim prompto animo corredit. Verumtamen cum Contarenus iudicium proferre tanquam Legatus dubitaret, nisi sibi permitteretur cum pluribus theologis librum communicare, permisum illi fuit de eo consulere duos etiam theologos colloquio designatos, Pflugium et Eckium, et Badiam, Apostolici Palatii Magistrum, qui solus inter theologos Legati peculiares doctrinae fama eminebat. Lectus est igitur liber in

<sup>4)</sup> Corp. ref. IV, 414. In eodem scripto germanice edito legimus: „Bald folget der Artikel von der Justification, der nicht kurz gefasst, und war viel fremder Meinung und Reden eingeführt, die Eccio so wenig als mir gefielen . . . Und ist also diese kurze Form ins Buch gesetzt und die vorigen langen Theudingen weggethan“. l. c. 420. 421. Cfr. eiusdem epistola ad Ioannem Fridericum, ducem Saxoniae l. c. 581. — Non aliter Pistorius iudicavit: „Es hat sich aber bald zugetragen im Artikel: das man vor Gott durch Glauben an Christum gerecht werde, dass im Buch so fremde, neue, weitläufige Meinung und Reden eingeführt, dass die Collocutores beides Theils für gut angesehen, das Buch wegzulegen und frei von dieser Sach zu disputiren, und ist nach langem Streit diese kurze unvollkommene Form gestellt und zusammengeflickt, wie sie jetzt im Buch stehet unter dem Titel de iustificatione. Denn das vorige . . . ist weggethan.“ l. c. 414.

<sup>5)</sup> Infra doc. II. — Cfr. Eckii Apologia (Ingolstadii M. D. XLII) f. CLIV: Author fuit (Eckius), ut expuncto illo articulo, qui copiosior erat in libro, macrior ille sit substitutus“.

<sup>6)</sup> Epistola consiliariorum Sax. ad Electorem: „Nachdem beide Theile an denselbigen Artikel, wie er im Buch gestellt, Mangel und Beschwerung gehabt, haben die Theologen jenes Theils einen Artikel von der Justification gestellt und dieses Theils Theologen übergeben“. Corp. ref. IV, 254.

camera Thomae Badiae, acerrimumque certamen exortum, cum Eckius totum librum duris verbis improbaret et tandem aegre eo perduci posset, ut adversariis manus daret, semper tamen indicans, aliena auctoritate se trahi, non sua opinione duci.<sup>7)</sup> Iterum igitur liber mutationem expertus est, at neque prior illa emendatio, quae nonnisi ad singula verba et sententias pertinuisse censenda est, neque haec, quae paucarum horarum decursu facta est, ea esse potuit, quae in scripto Gropperiano nobis occurrit.<sup>8)</sup> Illud certe constat, primam ac genuinam articuli V. formam collocutoribus die 27. mensis Aprilis, finito theologorum catholicorum concilio, exhibitam fuisse, non vero eam, quam Gropperus contexuerat; de illa enim Contarenus cum Eckio e colloquio redeunte disputationem instituit, quoniam in ea, non in formula Gropperiana invenitur sententia illa, quam Eckius vituperaverat: Christum esse causam subefficientem nostrae salutis.<sup>9)</sup>

Licet ergo suspicari, formulam de iustificatione, quae exstat in chartis Pflugianis, eam fuisse, quam collocutores catholici, repudiata prima ac genuina articuli V. forma, proposuerunt. Quamvis et haec a collocutoribus alterius partis reiceretur, non frustra tamen Gropperus laboraverat. Nam aliquot eiusdem loci atque ii quidem, quos auctor novos inseruerat, postea ab omnibns approbati inveniuntur in ea formula, cui tandem omnes subscriberunt. Sunt autem illi, qui incipiunt a verbis: *Et quanquam in renatis . . . . . et sic deinceps, paucis mutatis, usque ad: partiali agente.*<sup>10)</sup>

Formam autem et speciem articuli V. a Gropperio concinnati subiungimus in appendice sub Nr. I.

2. Eckius statim ab initio librum a Caesare propositum, cuius auctorem Georgium Vicelium sibi infensissimum, deinde Gropperum suspicabatur esse, „virum non magni nominis in theologia“,<sup>11)</sup> improbavit et oppugnavit<sup>12)</sup> et nonnisi communi collocotorum catholicorum, Granvellani et potissimum Legati Pontificii studio ac labore commoveri potuit, ut in colloquio moderationi cuidam studeret ac tandem formulae de iustificatione subscriberet. „Granvellanus Eckium, cum descriptae formulae testimonium chirographi addendum esset, tergiversantem et astute renuentem facere id coegit“<sup>13).</sup>

Finito colloquio semel atque iterum requisitus ac rogatus a Wilhelmo, duce Bavariae, huic suo principi et benefactori, quanquam aegrotus, inter frequentes paroxysmos sententiam suam de articulis in colloquio concordatis scripsit vel potius magistro cuidam ad se misso dictavit, id quod eo libenter fecit, quod „infirmitate gravatus amicorum et virorum fide dignorum relatione omnibus catholicis lectoribus displicuisse hunc librum“ intellexerat.<sup>14)</sup> „Neque placuit neque placet liber iste insulsus, neque placebit, in quo tot errores et vitia deprehendi; unde iudico, sicut semper iudicavi, eum a Catholicis non recipiendum, quia relieto modo loquendi ecclesiae et patrum melanchthonizat. Et idem ego Eckius non consensi, neque vidi librum Caesareae Maiestati oblatum, sed solum praelecti mihi fuerunt articuli Lutheranorum; multo minus consensi in scripturam quandam, quae dicitur Imperatori oblata cum libro, quam nunquam vidi. Eckius subscrivit“. Hanc fuisse Eckii de articulis conciliatis sententiam refert Bucerus.<sup>15)</sup>

7) Pallavicinus, hist. conc. Trid. IV, 14, 4.

8) Errat sine dubio Schaefer (l. c. p. 51) affirmans, in hoc theologorum consessu libri articulo V. copiosiori expuncto macriorem et accuratiorem in eius locum substitutum fuisse. Loci ab eo citati ad colloquium ipsum referendi sunt.

9) Lenz l. c. p. 43. — Fr. Ditrich, Gasparo Contarini (Braunsberg 1885) p. 610. 611.

10) Hergang, das Religionsgespräch in Regensburg i. J. 1541 und das Regensburger Buch (Cassel 1858) p. 102—106.

11) Apologia f. I a.

12) l. c. XXXIII b.

13) Verba sunt Peuceri in dedicatione tom. IV. Operum Melanchthonis.

14) Apologia f. XXXIII.

15) Acta colloquii in comitiis imperii Ratisponae habiti etc. Argentorati 1541, Sept. f. 94.

Fatetur Eckius ita fere se duci Wilhelmo scripsisse et hoc solum adiungit: „Memor sum plures fuisse articulos, at maiorem partem Bucerus in gratiam meam, ut est homo pius et misericors, omisit.“<sup>16)</sup> Melanchthon Eckii „atrocissimam“ sententiam parvam vocat syngrapham.<sup>17)</sup>

Quo die Eckii iudicium scriptum sit, non constat, quo autem die publice innotuerit, patet ex epistola Saileri ad landgravium Hassiae die 21. Iunii data, in qua legimus: „Wie unser gegentayl des grosten artikels der justification mit uns wahrhaftig oder schalkhaftig verglichen, haben E. f. g. ab disem mitgesantten puechlen, so erst heut ausgangen und D. Ekh gemacht sol haben, gnediklich zu vernemen“.<sup>18)</sup>

Die autem 5. Iulii in publico principum consessu, inscio Eckio, a Wilhelmo, Bavariae duce, legebatur.<sup>19)</sup>

Quo audito mirabantur multi scientes, Eckium interfuisse colloquio et articulis, de quibus inter collocutores convenerat, assensum praebuisse et subscrississe; aegerrime autem tulerunt Gropperus et Pflugius, omnium, quae acta fuerunt, testes.<sup>20)</sup> Quare ut Eckii sententiam redarguerent famaeque suae consulerent, praesidibus et auditoribus colloquio adscitis die 6. vel 7. Iulii supplicationem tradiderunt, qua ostenderent atque evincerent: „Si liber ab Imperatore oblatus non fuisset praelectus; si non fuisset a summis viris ante colloquium comprobatus; si non Eckius maximam illam libri partem et quae concordata sunt, sana, non tantum voce, sed partim scripturae suaee testimonio receperisset, haberet quod praetexeret“.<sup>21)</sup>

Huc pertinet quod ex chartis Pflugianis bibliothecae Zicensis descriptum infra (sub No. II) proferimus „Responsum D. Ioannis Eckii Theologi“, quod Pflugius inscripsit: „Contra librum Caesarianum“. Cum Eckius paratum se esse declareret, „coram Caesarianis, Pontificiis et Principum theologis errores Gropperi ostendere“, facile quivis concludet, responsum hoc Gropperi (et Pflugio) datum Ratisbonae scriptum esse praesentibus adhuc ibidem theologis. Quod si verum est, quo iure Eckius non ita multo post in Apologia sua asseverare potuit: „Sic abii Ratisbona satis tarde, ob adversam valetudinem 30. Iulii, quod nec verbum super eo a quoquam intellexi aut audivi, usque dum farraginem Butii impressam in manus accepi“? Fefellitne memoria hac in re Eckium iam senescentem et aegrotantem?

Quod hic breviter raptimque Eckius notavit, repetit sub finem anni in sua Apologia.<sup>22)</sup>

3. „Ad haec audivimus, eum in singulos etiam articulos tam conciliatos quam non conciliatos mordaces censuras consarcinasse, quibus nihil aliud sit annixus, quam ut, si posset, astrueret, nihil esse in toto libro, ut Caesari redditus est, quod non sit vel supervacaneum vel erroneum vel nullius ad componendas has religionis discordias momenti“.<sup>23)</sup> Ita Pflugius et Gropperus in sua ad praesides colloqui supplicatione. Et revera Eckius tales de articulis conciliatis et non conciliatis censuras seu annotationes, fortasse ut iudicium illud suum, quod febricitans dictaverat, argumentis fulciret magisque

<sup>16)</sup> Apologia f. L 1b.

<sup>17)</sup> Corp. ref. IV, 475.

<sup>18)</sup> Lenz l. c. 140.

<sup>19)</sup> Lenz l. c. 120: Aitinger an den Landgraven: „Darauf hat er ain lateinischen schrift, von dem theologen Ecken an in, herzog Wilhelmen, begriffen, eingelegt, wölliche under anderm vermag, dass der Eck mit den andern colloquenten in keinem artickel verglichen sei“.

<sup>20)</sup> L. c.: Derhalben dann Gröper sich diser Dr. Ecken geschwindigkeit verwundert, hart beschwert und sich erpoten, das er solichs und das er mit den verglichnen artickeln mit inen ainig gewest, über seinen hals weisen wöl“.

<sup>21)</sup> Ita Eckius, Apol. f. CL III b. Corp. ref. IV. 462.

<sup>22)</sup> Apologia CL seq.

<sup>23)</sup> Corp. ref. IV, 461.

declararet, concinnaverat, quas perfecit die 6. Iulii. Quae non sunt confundendae cum sententia in senatum Principum missa ibique die 5. Iulii recitata. Illud enim scriptum viderunt Pflugius et Gropperus, hoc vero existere solummodo audiverant. Sententiam illam Melanchthon vocat „parvam syngrapham“, annotationes non debuisse non vocare libellum. Exstant et hae Eckii annotationes inter chartas Pflugianas<sup>24)</sup> propria manu Pflugii scriptae, deinde denuo meliusque transcriptae. Sequuntur hae censurae infra sub No. III.

In Apologia sua mense Decembri a. 1541 scripta et mense Maio anni insequentis typis excusa annotationes illas, quas „destitutus non solum sanitate, sed et librorum praesidio“ exaraverat, „succiosores et pinguiores redditas“ in lucem prodire iussit. Qui vero quae Eckius libello suo proladit legerit, facile opinabitur, eum non censuras die 6. mensis Iulii scriptas, sed sententiam suam paulo ante duci Bavariae missam hic emendatam et auctam edidisse. „Ideoque, ait, audacius meam quoque sententiam privatim Illustrissimo Principi meo catholico D. Wilhelmo ... inter frequentes paroxysmos scriptam non gravabor hue reponere“. Accuratus vero intuenti sententiam et annotationes et inter se conferenti facile patebit, articulos die 6. Iulii concinnatos quasi ad verbum descriptos in Apologia reperiri, sententiae vero vix unum verbum. Memoria hic Eckium fefellisse videtur, id quod vix mirandum, cum utrumque scriptum gravatus aegritudine et febricitans, infra exiguum temporis spatium, pro eodem principe, forsitan alterum magis explicaret, composuerit. Et nesio an Eckio Bucero respondenti, plures fuisse articulos, sententiam et annotationes in unum confluxerint.

4. De Eckii annotationibus scripsit Contarenus Legatus ad Cardinalem Farnesium die 26. Iulii: „Non voglio lassare di dire a. V. S. Rma., sicome l' Echo si è posto con gran vehementia a dir male di quel libro, sopra il quale si è fatto il colloquio, et accusa il Groppero come autore di quello et li ha scritto contra molte annotationi di poco momento però, come poi mostrerà a. V. S. Rma., non altrimente, che se fusse un Melanchthone, cosa certe scandalosa et d'accender più fuoco. Io ho visto il Groppero per questo di mala voglia et molto in cholera; tuttavia non ho mancato far tutti li buoni officii per mitigarlo et farlo star quieto, perchè in verità è persona di grande autorità, precipue in quelle parti di Colonia, et non saria senza gran danno a farselo inimico, oltra che a giudicio mio è un homo di molta bontà“.<sup>25)</sup>

Cum autem articulos libri Ratisbonensis et ante et inter colloquium una cum collocutoribus persaepe emendasset atque approbasset et eum potissimum, qui est de iustificatione, verbo et scripto<sup>26)</sup> defendisset ac proinde censuras illas non solum Pflugio et Groppero, sed sibi ipsi quodammodo scriptas esse bene intelligeret ac sentiret, non silentio eas praetereundas ratus respondit Eckio, quae infra ex chartis Pflugianis afferimus sub Nr. IV.

5. Quid ad haec Eckius? Ut erat homo contradictionis impatiens, non Contarenum Cardinalem, sed Gropperum suum fingens esse adversarium, responsionem Legato transmisit eam, quam ex iisdem chartis sumptam infra sub Nr. V. proponimus.

6. Edocti sumus epistola Contareni ad Farnesium supra laudata, Eckium censuris suis et annotationibus magnum scandalum excitasse et ignem quodammodo accendisse ingentem, atque prae ceteris Gropperum iratum fuisse auctori. Quod idem etiam Julius Pflugius cogitasse sensisseque putandus est. Quare ut una cum Groppero supplicatione praesidibus colloquii exhibita iudicium Eckii de articulis concordatis impugnare et refellere conabatur, ita nunc „contra reprehensionem Ioannis Eccii defensi-

<sup>24)</sup> Quae particula inscripta est „Eckiana“.

<sup>25)</sup> Brieger, Zeitschr. für K. Gesch. III, 184.

<sup>26)</sup> Exstat eius de iustificatione tractatus monacho cuidam Mantuano inscripta inter chartas Pflugianas.

onem libri, quem Imperator de religione colloquentibus Ratisbonae exhibendum voluit<sup>27)</sup>, componere instituit, non tamen Ratisbonae, sed iam in patriam reversus, postquam Eckius annotationes suas in Apologia typis mandavit, ergo non ante annum incipientem 1542. Nam has in sua defensione respicit, impugnat, refellit, non vero primam illam adumbrationem die 6. Iulii Ratisbonae scriptam. Quamvis permodeste, ut eius fert natura, Pflugius totus in eo est, ut articulos libri Caesariani conciliatos cum doctrina catholica optime concordare ostendat ac proinde censorem non habuisse, cur tanto impetu in eos invehernetur. Miratur, „quid Eckio venerit in mentem tam acerbe in librum vel potius in authorem (vel quem authorem suspicetur) scribere“; vituperat auctorem, „quod causam litium sine causa quaerat<sup>27)</sup> et nimia contentionis cupiditate ardeat“, quod „temere librum oppugnet“; quod „aequior esse debuerit libro vel authori, qui nihil attulerit de suo, sed secutus sit tantum alios authores eosque bonos“; quod „omnia incerta esse dicat, de quibus controversae sint in scholis opiniones“;<sup>28)</sup> quod articulum de peccato originali verum esse declarat et tamen in eo reprehendat, quod auctor sua haec quam ea, quae Wormatiae transacta fuerint, amplecti maluerit;<sup>29)</sup> quod graves auctoritates, Thomam, Scotum, Occam, Gabrielem Biel, „quibuscum si Eccius sine autoritate, sine ratione certet, iam victus sit“, parvi pendat; quod ubi rem et sententiam damnare non possit, modum loquendi reprehendat<sup>30)</sup> ob solam morositatem.<sup>31)</sup> Et tandem articuli quarti defensionem ita concludit: „Ex quo intelligi potest, librum de hoc peccato nihil aliud afferre, quam quod cum sensu scripturae et sanctorum patrum congruit... Sed de his hactenus, quae spero omnibus bonis satisfactura esse“.

Hisce verbis finem facit Pflugius „defensionis libri Caesariani contra Eccium“. Opus est inchoatum, non perfectum, articulum quartum non transgrediens, id quod maxime dolendum est, cum auctor rem sane gratissimam nobis fecisset, si sententiam suam etiam de ceteris libri articulis ac praecipue de iustificatione hominis nobis aperuisset.

Ne longior, quam par est. commentatio nostra fiat, non totam defensionem, sed introductionem tantum lectori praebemus in appendice sub No. VI.

7.. Caesaris votis obsequens Contarenus Legatus admonitionem dedit episcopis Ratisbonae praesentibus, quae „ipso Bucero referente in eo fuit tota, ut temperarent luxum, promoverent studia literarum,

<sup>27)</sup> Ad art. IV: Eccius vero, cum non habeat hic causam, cur libro exprobret, gravem (emendavit: E. quaerit hic causam pugnandi contra authorem libri et), se primo confert in castra Erasmi Rotterodami et eos, qui senserunt, locum illum de peccato imitationis intelligendum esse, sublata negatione, inde mox ad nos transit, ac ne sine sanguine tamen res abeat, impetum facit in Erasmum eumque illis armis, quae ex commentariis illius sumpserat, miserandum in modum ingulat. Ad extreum ut tribuat tamen aliquid cupiditati suae, perstringit authorem, quod non addiderit illud de similitudine praevaricationis Adae, quasi vero cuiquam, qui in sacris literis rudis non est, qui audit verba, quae antecedunt, haec ignota esse possint.

<sup>28)</sup> Ad art. III: Quodsi omnia incerta sunt, de quibus controversae sunt in scholis opiniones, ut arbitratur Eccius, non ita multa nobis relinquent(ur) certa, quae asserere possumus.

<sup>29)</sup> Ad art. IV: Insimulat authorem libri ambitionis, quod sua haec quam ea, quae Bormatiae Vangionum transacta sunt, amplecti maluerit. Vellem Eccius ita Bormatiae decidisset ea, quae in religione controversa sunt, ut hoc tempore tranquillam haberemus ecclesiam. Hanc enim illi gloriam neque author libri neque quisquam nostrum invideret. Verum transactio illa talis est, ut pro ea etiamnum vota sint facienda. Quare quod librum qui de peccato originis aliquanto copiosius agit, probaverimus, id nobis fraudi esse minime debet. Neque enim conveneramus, ut ab Eccio acciperemus leges, sed ut ecclesiae laboranti pro virili quisque sua parte consulereret.

<sup>30)</sup> Ad art. IV: At cum de re constet et conveniat, non est causa, cur de vocabulis contendamus, nam disputatio de vocabulis pertinacibus est relinquenda, ... Hanc Augustini autem, immo vero scripturae sententiam haud dubie ambo, Eccius et author libri, probant. Cum igitur sensibus inter se congruant, verbis discrepare non sane debent.

<sup>31)</sup> Facessat igitur Ecciana ista morositas (ut levissime dicam), qui quod alias fecit non male, id improbare non dubitavit contra quae ratio gratiae divinae postularet.

foverent literatos, praeficerent ecclesiis idoneos<sup>32)</sup>) Contra hanc Legati Pontificii exhortationem, quam Eckius non immerito prudentissimam vocat et sanctam, duo prodierunt consilia Imperatori exhibita, unum sub Buceri, alterum sub Melanchthonis nomine.<sup>33)</sup>

Similiter etiam Iulius Pflugius, nuper episcopus Numburgensis et Zicensis creatus, suam de reformanda ecclesia sententiam Contareno exposuit, sperans se aliquando posse perficere, quod ecclesiae commodo esse iudicavit. Libenter Legatus quod ei traditum est exceptit, diligenter pervolvit et quae ipsi vel mutanda vel magis explicanda videbantur esse in schedula notavit. Hoc quoque consilium, quod Pflugius verbis inscripsit: „Nostra exhibita Legato Rmo. Dno. Contareno“, una cum annotationibus Contareni infra sub Nr. VII et VIII. subiungimus.

Gratulabor mihi remque non prorsus inutilem virisque doctis et eiusmodi rerum peritis non ingratam me suscepisse existimabo, si documentis istis nunc primum in medium prolatis nonnihil ad res colloquii Ratisbonensis melius cognoscendas attulerim.

## I.

Gropperi haec sunt.

**Quomodo iustificamur gratis.**

*Incipit ut apud Lenzium p. 52<sup>34)</sup>): Cum ergo quaeritur, quo iustificetur impius, respondendum est, impium iustificari ... voluntate (p. 53). [Desunt verba apud L. sequentia usque cap. 9]. Ut verum ..... causa iustificationis materialis (subjectum).*

*Eadem ratione si quaeratur ... iustificationem nostram. Sequuntur quae ita fere, quamvis non ad verbum, legimus apud L. p. 49: Nam ut iustificationem nostram opera gratiae praevenientis antecedant, iis tamen iustificationis (quae gratis nti et ea opera datur) meritum nulla ex parte esse adscribendum, quamvis illa interim non ut opera legis mortua, sed ut opera Spiritus parantis in nobis viam Domini sunt habenda, quibus etiam scriptura bonitatis laudem, sed in suo genere defert, ut ad ea Apostoli sententia detorquenda non sit, qua pronuntiat, omne quod non ex fide esse peccatum. Ro. 14. Sunt enim et haec opera ex fide, etsi nondum perfecta.*

**Cui iustitiae fiducia nostra innitatur.**

Rursus si quaeratur, ut apud L. p. 53 ... Christi. *Sequitur, quod deest apud L.: Et ea iustitia, quae in ipso est perfecta, quae creditibus in eum gratuita imputatione fit communis.*

*In summa iustitia, qua iusti i. e. accepti et reconciliati Deo sumus, deinde ut apud L. p. 53, est iustitia Christi .... per dilectionem (Galat. 5). Desunt omnia, quae legimus apud L. p. 53 — p. 55: Hactenus de iustificatione impii seu regeneratione .... etsi arcano (pro absque) afflatu ... sed et nova gratia spiritualis .... nobis incognita .. impartitur .... quae quoque facit .... Iacobum cap. 2 paucis dicere.*

<sup>32)</sup> Eckii Apologia f. CXXVb; cfr. f. CXXVI—VII.

<sup>33)</sup> Le Plat III, 67 sq.

<sup>34)</sup> Literis cursivis impressae sunt nostrae animadversiones variaeque lectiones.

### De imperfectione iustitiae inherentis in renatis.

*Apud L. p. 55:* Constat in homine . . . . inclinatum . . . quamlibet iustum . . . potentibus mediatoris (*apud L. p. 56*). Deinde sequuntur, quae legimus apud Hergang p. 104: Constat, quod non in hoc datam regenerationis gratiam, ut in eo gradu innovationis nostrae, quem primum nacti sumus, ociosi consistamus, sed crescamus in ipsum per omnia, qui est caput.

Constat iustitiam, ut *apud L. p. 56 . . . . quae nunquam . . . . absolvetur*<sup>35)</sup> . . . iustificatur . . . . agnoscit (*melius augescit*) . . . . tantum . . . futura (p. 57).

### De tota ratione iustificationis operum.

*Apud L. p. 57:* Haec quoque suam vivificationem seu continuam renovationem uti terminos et fidem operosam, qua termini coniunguntur, habet.

### De mortificatione, quae constat cruce et perpetuo gemitu.

Mortificatio, ut *apud L. p. 57 . . . . tota vita . . . . peribitis*. Haec est illa mortificatio . . . . ut destruatur . . . debita nostra.

### De fide, qua renovamur de die in diem operibus bonis.

Fides vero, ut *apud L. p. 57 . . . ea est, addita sunt*; quae nos in tribulationibus huius mundi sustentat et alacres facit, de quo dixit Apostolus: Non solum per fidem gloriamur in spe gloriae filiorum Dei, sed et gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio operatur patientiam, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Ro. 6. Rursus ea fides, quae nos perpetuo lugentes adversus quotidianos lapsus consolatur, cuius, ut *apud L. p. 57 . . . . cum ait*: Si dixerimus . . . . Si confitemur peccata nostra, fidelis est et iustus est, ut remittat nobis peccata nostra (*desunt apud L.*) et emundet. Cetera desunt usque totius mundi. Hac fide vivificatio seu quotidiana illa innovatio spiritus, alter huius iustificationis terminus, priori termino coniungitur. Si enim credimus . . . . Coloss. cap. 3 (L. 58).

### De merito et dignitate bonorum operum nihil derogante merito Christi.

Haec itaque, ut *apud L. p. 58 . . . . augescentis . . . . meritoria sint, deinde omissis verbis non tantum — aeternae*, non quidem ex sua sufficientia, sed Dei dignatione, adduntur: qui in pluribus Evangelii locis clare et manifeste huiusmodi operibus gratuita benignitate propter Christum promisit mercedem bonam tam corporis quam spiritus in hac vita, prout sua divinae providentiae visum fuerit, et post hanc vitam in coelis. Ipse enim, ut Augustinus ait, coronat opera sua in nobis, substituta pro: quae gratuita benevolentia coronat opera sua in nobis.

Sequuntur, quae existant apud Hergang p. 106: Ideoque quamvis haereditas vitae aeternae propter promissionem debeatur renatis, etiam cum primum in Christo renati sunt, nihilominus reddet Deus etiam bonis operibus mercedem, non secundum substantiam operum, neque secundum quod sunt a nobis, sed quatenus in fide fiunt et sunt a spiritu sancto, qui habitat in nobis, concurrente libero arbitrio tanquam partiali agente.

Habent quoque haec, ut *apud L. p. 58 . . . . exercetur*.

<sup>35)</sup> Ut recte coniecit Lenzius.

### De fiducia et gloriacione honorum operum innixa fiduciae, quae est in Christo.

Adferunt quoque, *ut apud L. p. 59 . . . mundo.*

Perficiunt . . . timore et tremore . . . permaneo (?) in his.

*Hoc enim . . . audiunt.*

Haec denique . . . testimonium ferunt . . . maior est Deus . . . I. Ioan. 4.

Interim tamen . . . merito Christi . . . executos (melius exutos) . . . glorificet.

Semper quoque . . . donavit (deest et supplet) . . . responderet . . . ad Deum. *Sequitur:*

Scite ergo Bernardus exclamat, *ut apud L. p. 53 . . . salvus non sum. Sequuntur:* Idem sanctus vir totam rationem iustificationis fidei et operum complexus, *cetera apud L. p. 51:* praclare docet . . . quanto minus *adhuc . . . iam* corrupta . . . habes ea . . . misericordiae (deest ut) veritas . . . operibus *promereri . . . gloriam ne quidem si . . . non tamen sic meritaria<sup>36)</sup> . . . necesse* habuit . . . ipse redonat.

Haec autem fides . . . propter peccata nostra in malum (*desunt ergo verba; Nec — nostra*) . . . *quia surrexit . . . testimonium certe . . . quia . . . ascendit . . . Ephes. 1.*

In eandem (p. 52) . . . *qui propitiatur . . . Hactenus ille. Ergo quisquis talem nactus fidem . . . filii Dei. Ro. 8.*

### De forma sermonis: sola fides iustificat.

In hanc sententiam, *ut apud L. p. 53 . . . nulla alia re quam fide* donum iustitiae accipitur . . . pronuntiat. Quoniam vero *haec, ut apud L. p. 54 . . . in impium sensum capi posset, ut intelligat de sola fide . . . quam sibi fingit . . . perinde atque . . . II. Cor. ultimo.*

### De certitudine iustificationis seu remissionis peccatorum.

Et pulchre quidem Bernardus, *ut apud L. p. 54 . . . nosse possis . . . concupiscentiis eius . . . quo non vult, si demum . . . et nec grabbatum . . . crediderunt? Ro. 10.*

*Sequuntur quae existant apud Hergang p. 103—4:* Itaque quanquam in renatis semper crescere debent timor Dei, poenitentia et humilitas et aliae virtutes, cum renovatio sit imperfecta et haereat in eis ingens infirmitas, tamen docendum est, ut qui vere poenitent, semper fide certissima statuant, se propter mediatorem Christum Deo placere, quia Christus est propitiator, pontifex et interpellator pro nobis, quem pater donavit nobis et omnia bona cum illo, atque hoc addendum est, ut Cyprianus . . . *cetera ut apud L. p. 54 . . . internum testimonium spiritus.*

Nec hanc certitudinem, *ut apud L. p. 55 . . . ut ab auditione . . . confirmet.*

Et ut nemo, *ut apud L. p. 55 . . . Deus probet . . . remittantur . . . qui putat . . . donata sunt nobis. I. Corinth. 2.*

*Sequuntur:* Haec tamen, quae de rectitudine remissionis peccatorum dicta sunt, docenda erunt, ut omnes intelligent, hunc tanquam ad scopum esse contendendum, neque enim (*quae sequuntur, ut apud Hergang p. 104*) perfecta certitudo in hac imbecillitate requiri potest, proinde cum multae sint infirme et providae conscientiae, quae cum gravi saepe dubitatione luctantur. Nemo enim a gratia Christi propter huiusmodi infirmitatem est excludendus, sed convenit tales diligenter adhortari, ut his

<sup>36)</sup> In margine: Meritum vitae aeternae.

dubitacionibus promissionem Christi fortiter opponant et augeri sibi fidem sedulis precibus orent iuxta illud: Adauge nobis, Domine, fidem. Praeterea docendus est populus, ut det operam huic augmento, et exhortationes ad perficiendam sanctificationem nostram bonis operibus tam internis quam externis a Deo mandatis et commendatis (*cetera ut apud L. p. 60*) diligenter facienda sunt . . . et similes.

Et propterea, *ut apud L. p. 60* . . . iustificatione *fidei* . . . quae est *in Christo Iesu* . . . Verum (*omissum* divinae) iustitiae studium . . . de morte in vitam.

## II.

### Responsum D. Ioannis Eckii Theologi.<sup>37)</sup>

- I. Falso imponit Gropper, me Eckium consensisse in indoctum librum, quem primo coram Magistro Sacri Palatii improbavi, ac deinde coram Illustri Domino a Granvello et Reverendissimo Episcopo Atrebaten. ante colloquium, et Illustrissimum Dominum Fridericum rogavi in colloquio, ut nos liberet ab illo libro.
- II. Quod iactat me librum approbasse usque ad articulum de eucharistia, aequa falsum est. Nam articulum de conditione hominis non controvertimus. Quare declarationem suam non examinavimus. Similiter articulos de libero arbitrio et ante et post peccatum, item de causa peccati, cum consentiremus cum adversariis, superfluum fuisse falsis suis declarationibus immorari.
- III. Cum Vormatiae articulus de peccato originali bene fuerit concordatus et utrinque receptus, colloquentes nos ad eandem concordiam remisimus parvi facientes involutam et discordantem libri explanationem.
- IV. De fide iustificante cum adeo perplexa et falsa scripsisset, ut colloquendo non possemus convenire, ego Eckius incepi extra librum tractare illum articulum et concordavimus, sicut est scripto conceptum. Sed concordia illa neglecta erroneam suam declarationem adhuc Principibus obtrudit.
- V. In articulo de baptismo, de confirmatione, de ordine, cum adversarii a nobis non dissiderent, consensi ratus omnia colloquii conclusa, utut agerentur, conscribi, sed video minime esse factum.
- VI. De eucharistia haesimus in tribus, sc. conversione panis, reservatione eucharistiae pro infirmis et eius adoratione. Super quibus dedimus sententiam nostram in scriptis. Quod scriptum non apparent, et super eo adversarii acceperunt deliberationem.

Illa sunt, quae memori mente teneo esse acta usque ad infirmitatem meam. Quodsi Gropper ita afficitur libro suo, paratus sum coram Caesarianis, Pontificiis et Principum theologis errores eius ostendere.

Eckius pr. m. et verificabit.

<sup>37)</sup> Pflugius sua manu: *Contra librum Caesarianum.*

### III.

#### In nomine tuo, dulcis Iesu.

##### De conditione hominis. Articulus primus.

Iste articulus est superfluus, quia non discordamus a Protestantibus. Est obscurior dictio, ideo vitiosa. Adam non habuit notitiam Dei, creatoris sui, veram et sui, sed de viva notitia non meminit.<sup>38)</sup> Qui ponit ardensem in voluntate amorem, est contra communem, quia creatus fuit in iustitia originali, sed non in gratia, quae habent se sicut excedentia et excessa. Ideo concludunt doctores, Adam per gratiam potuisse resistere malo, sed non potuisse mereri. Magister citat Augustinum in Enchiridio.

##### De libero arbitrio. Art. 2.

Superfluit et iste articulus modo, cum admittant libero arbitrio suam activitatem, habet unum intolerabile falsum, quod Adam per lapsum amiserit libertatem etc., sola libertate a coactione retenta. Nam in hac vita homo liber est ad multa alia, ut experimur. Si enim author vere diceret, non haberet homo maiorem libertatem hic, quam diabolus in inferno, contra totam scripturam sacram, et fuit error Manichaei. Possunt adduci omnes authoritates pro libero arbitrio. Alia dubia non excutio, quia est contra communem.

##### De causa peccati. Art. 3.

Superfluit et ille articulus non controversus. [Declaratio].

Non est toleranda, cum ait, Adam astu diaboli circumventum. Rectius Augustinus super Genesim. Cum Apostolus Adam praevaricatorem fuisse ostendit dicens: In similitudinem praevaricationis Adae, seductum tamen negat, ubi ait: Adam son est seductus, sed mulier. Unde interrogatus non ait: Mulier seduxit me, sed: Dedit mihi et comedi. Mulier vero dixit: Serpens seduxit me. Et tamen in statu innocentiae non fuit fides, sed specularis notitia, ut ex Apostolo colligitur. Ideo pro fide cognitionem illam perfectam substituunt.

##### De originali peccato Art 4.

Hic articulus prius controversus iam est Vormatiae concordatus et receptus. Mallem ergo illam concordiam hic substitui ad multa dubia removenda.

- I. Nam omnes scholae reclamabunt, quod iustitiam originalem dicit esse in gratia Dei, amorem complecti etc. Nam iustitia originalis differt a gratia. Alioqui puer baptisatus acquires gratiam haberet<sup>39)</sup> iustitiam originalem.
- II. Porro onerare infantes incredulitate est Melanchtonicum, a Patribus et ecclesia alienum. Neque Paulus hoc probat. Non enim pueros dicit inobedientes.<sup>40)</sup>

<sup>38)</sup> In mscr. Pflugii: sed vivam notitiam admodum.

<sup>39)</sup> Pflugius: acquireret.

<sup>40)</sup> Pflugius: sed tamen inobedientia Adae constitutos peccatores.

- III. Absurdissimum est hoc, quod concupiscentiam dicit in renatis non posse non prodire in omne genus peccati, cum tam multi philosophi, Greci et Romani, ab avaritia, adulterio, homicidio, iniustitia abstinuerint, ut sancti Patres virtutes eorum nobis in exemplum adduxerint.
- IV. Verba Prophetae et Apostoli: Cum nondum nati fuissent etc., de aeterna praescientia electiva vel reprobativa indoce torquet ad peccatum originale, contra mentem Sancti.
- V. Omnes scholae reclamabunt, quod negat Deum videre imaginem in peccatore puer, Augustino<sup>41)</sup> dicente: In ipsa enim mente, antequam fit particeps Dei, eius imago reperitur. Etsi enim amissa Dei participatione deformis sit, imago tamen Dei permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens, quo capax eius est eiusque particeps esse potest.
- VI. Ridebunt scholae authorem libri, cum ait: In nobis esse vestigium imaginis Dei, cum ex Aug. lib. 6 de Trinit. didicerint, vestigium Dei esse in omnibus creaturis, imaginem vero in rationabilibus dumtaxat. Quid autem lumen naturale ponat<sup>42)</sup> in gentibus, Apost. ad Romanos explanat.
- VII. Corrupte citat pro verbis Augustini verba Iuliani, lib. 5 contra Julianum cap. 3. Nam Aug. respondet ad illa verba haretici Isaiae 12: Reliquiae Israel salvae fient. Hinc est glossa, quae reliquias interpretatur Apostolos, quam aliqui sequuntur. Et hunc non esse litteralem sensum, manifeste ex Apostolo liquet, cum inquit: Caecitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Modo Apostoli non expectant conversionem gentium, sed Iudei modo in toto mundo dispersi.
- VIII. Nemo etiam hoc admittet, quod ait: Concupiscentia violenter post se corripit impium. Nam voluntarie peccant impii, non violenter. Corripiuntur dicente Domino ad Cain: Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.
- IX. Sapit et hoc Lutherus, quod populo concessionandum beneficium Christi, quod hoc mali Deus non imputet. Sic enim Lutherus, concupiscentiam esse quidem malum et peccatum post baptismum, sed Deus non imputet.

#### De iustificatione hominis. Art. 5.

Articuli declaratio nihil habet incommodi, si fides viva dicatur illa tantum, quae per charitatem operatur. Nam sicut anima vivificat corpus, sic charitas vivificat fidem, quae alioqui esset mortua et informis. Ideo multa sequentia de fide formata intelligantur. Alioquin erit Melanchtonis sententia, non ecclesiae. Hoc etiam implicat contradictionem, quod reputemur iusti et accepti Deo per ipsius merita, non propter inhaerentem iustitiam. Cum enim illa iustitia sit gratia, quis potest intelligere hominem habere vestem nuptialem, habere gratiam Dei et non esse gratum et acceptum Deo? Scio, quid subtilis hic quidem imaginetur.

De sola fide nunquam est admittendum sola, sicut etiam Augustae fuit reiecta (!) propter infinita scandala, ut Lutherus ipsem et conqueritur saepius et dicit nocentissimum errorem. Similiter et visitatio Saxonica. Unde in hac trinitate (?) insolenter peccarunt, solam fidem iustificare,<sup>43)</sup> nec ullibi reperitur hoc in verbo Dei, sed contrarium expresse Paulus et Iacobus affirmant.

#### De ecclesia, eius signis et authoritate. Art. 6.

Articulus in se verus.

Declaratio Apoc. 21: De civitate sancta Ierusalem descendente de coelo etc. torquet sacram

<sup>41)</sup> Pflugius: lib. 14 de Trinit.

<sup>42)</sup> Rectius apud Pflugium: possit.

<sup>43)</sup> Pflugius: et per hanc gloriam Dei . . . obtinuisse.

scripturam, quia cum loquatur Ioannes de ecclesia triumphante, secundum Patres, et initium capituli manifeste probat, hic ad ecclesiam militantem cogit. Ecclesiam dicere occultam et mathematicam est Lutheranum. Sic nemo potest dicere ecclesiae vel eam audire, et Paulus ad Corinthios etiam fornicatores dicit intus esse in ecclesia, sicut David adulterans, Petrus negans, Paulus persequens fuerunt de ecclesia Dei, electi secundum aeternam eius pradestinationem.<sup>44)</sup>

De poenitentia post lapsum. Art. 7.

Articulus est verus.<sup>45)</sup>

Torquet verba Pauli ad Hebreos contra sanctorum Patrum sententiam, qui id de illuminatione baptismi intelligunt, ut in fine author contexuit. Si enim ad incredulitatem et alia peccata refert, quantum abest ab expositione Novatiani? De quo iudicet lector et Ambrosius. Est et Patribus et scholae alienissimum partes poenitentiae duas ponere, scil. mortificationem et vivificationem, cum Magister sententiarum post Chrysostomum et omnes qui sequuti sunt sancti et doctores ecclesiae quaerentes: Quot sunt partes poenitentiae? respondent: Tres, contritio, confessio et satisfactio. Mutabuntne omnes scholae, omnes declamatores divini verbi ad populum tam antiquum modum loquendi et de novo addiscent, quia duae sunt partes poenitentiae? Totidem enim Lutherani ponunt: mortificatione et vivificatio, cum non solum pertinent ad peccatores, sed etiam ad sanctos et iustos, ut ex Paulo liquet Rom. 8, Coll. 3.

De authoritate ecclesiae in discernenda et interpretanda scriptura. Art. 8.

Articulus est verus et declaratio bona.

De sacramentis. Art. 9.

Articulus verus. Locupletior esset, si numerus sacramentorum fuisse additus.

De ordine. Art. 10.

Articulus verus.<sup>46)</sup>

In elemento huius sacramenti ponit impositionem manuum, quod esset supplendum de diacono, presbytero et episcopo, quia in inferioribus ordinibus impositio manuum non adhibetur.

De baptismo. Art. 11.

Articulus verus.

De confirmatione. Art. 12.

Desideratur minister huius sacramenti, sc. episcopus, nec impedit et pervenit(?).

De eucharistia. Art. 13.

Adnotat scriptum per Lutheranos exhibitum, sed cur omisit scriptum Catholicorum super tribus punctis, sc. conversione panis in corpus Christi, reservatione hostiae in ciboriis pro infirmis et memoria passionis Christi et adoratione eucharistiae?<sup>47)</sup>

<sup>44)</sup> Sequitur apud Pflugium articulus „de communione sub utraque specie“. Cfr. infra.

<sup>45)</sup> Quae sequuntur desunt apud Pflugium, paucis exceptis verbis.

<sup>46)</sup> Pflugius addidit: Declaratio.

<sup>47)</sup> Pflugius: Declaratio.

Sacramentum non recte explicat duabus confici speciebus, sanguine sc. et carne Christi, sed verbo accidente ad panem et vinum conficitur sacramentum.<sup>48)</sup> At sacramentum continet species visibles panis et vini et invisibile corpus Christi et sanguinem.

De poenitentia. Art 14.

Articulus verus.<sup>49)</sup>

De satisfactione est incircumspecte dictum, quia satisfactio Christi non est sacramentalis, et omnia sacramenta efficaciam habent a merito Christi. Dictum tamen in se est verum, sed modus loquendi Patrum habet, per absolutionem sacramentalem aboliri poenam aeternam et commutari in poenam temporalem, per satisfactionem autem iniunctam seu canonicam satisficeri pro hac poena temporali. Sic scholae docuerunt CCCC annis<sup>50)</sup> et ab Augustino acceperunt, sic declamarunt ad populum fratres et saeculares concionatores.

De matrimonio. Art. 15.

Articulus verus.<sup>51)</sup>

Solis christianis hoc sacramentum esse peculiare, magna eget limitatione, cum etiam patriarchae sacramentum matrimonii habuerint, quod author cogitur fateri, quando sacramenti huius verbum affert, verbum sc. Christi. Sed verbum Christi est de matrimonio Adae et Evae. Verum in hac perfecta sacramenti significatione nunquam fuit matrimonium, sicut modo est in ecclesia, sicut Paulus declarat: Magnum est sacramentum.

De sacramento infirmorum Art. 16.

Articulus verus.

De vinculo charitatis tertia nota. Art. 17.

Satius esset hunc articulum omittere iuxta ea, quae superius dicta sunt de ecclesia art. 6. Nam charitas praesens non distinguit ecclesiam, cum in ea sint peccatores, licet electi secundum praedestinationem ut supra.

De ecclesiastico ordine. Art. 18.

Articulus verus.

In fine nimis extenuat caeremonias et constitutiones rerum externarum ecclesiae more Lutherico. Unde ad scandala vitanda appendix illa esset arctius stringenda. Nam alioqui esset ostium apertum frigidis christianis, ut ieunia solverent.

Dogmata quaedam authoritate ecclesiae firmata. Art. 19.

De invocatione sanctorum.

Articulus verus.<sup>52)</sup>

Ambigie ponitur sanctos invocandos nominativi, sed extra preces, quae ad altare offeruntur, in

<sup>48)</sup> Pflugius: Christi sc. sanguine et carne, verbum enim conficit sacramentum aut conficit corpus.

<sup>49)</sup> Pflugius: Declaratio.

<sup>50)</sup> Pflugius: a 400 annis.

<sup>51)</sup> Pflugius: Declaratio.

<sup>52)</sup> Pflugius: Declaratio.

quibus ad solum Deum patrem per Christum dirigenda est oratio. Nam possit capi per impios eo, ut in honore B. Mariae<sup>53)</sup> et sanctorum ad altare, hoc est in missa, non invocarentur sancti, hoc esset erroneum et contra usum ecclesiae. Aut quod orationes ad sanctos porriganter patri per filium, in cuius nomine debet peti, id fit in et extra missam. Neque concilium Carthaginense 3, ca. 23 quicquam prohibet de sanctis, sed modum concludendi collectas praescribit.

Scandalosum est, nisi melius explicetur, quod ait, sanctos orare pro nobis, ut conservos tamen, non secus quam qui nobiscum sunt in carne sancti. Nam beatos iam et omni miseria exutos, cives coelorum non ardentius, efficacius et placabilius Deum pro nobis orare, quam viatores infirmos et fragiles, Hieronymus improbat contra Iovinianum, adversatur et consuetudini ecclesiae, quae in letania ait: S. Petre, ora pro nobis, sed nullum ex viventibus, quantunque iustus, sic invocat.

#### De reliquiis sanctorum et imaginibus.

De imaginibus hoc solum addatur, imagines conferre non solum, quia excident ad gestorum memoriam, sed etiam quia instruunt simplices, admonent scientes, afficiunt omnes. Contra haeresim Foelianam et Iconoclastas hoc quoque addatur, venerabiles esse imagines, sed non adorandas per se, sed posse adorari, quando terminatur oratio non ad ipsam imaginem, sed ad id quod imagine significatur et, ut Basilius ait, referatur ad prototypum.

#### De missae sacrificio.

Articulus in se verus, sed multa desiderantur. Male sonat et pias aures offendit, cum ait: Non minus hodie in conspectu patris oblatio in his, qui eam religiosa fide Deo repreäsentant, sit efficax, quam eo die, quo de latere suo exivit sanguis et aqua. Ergo sufficeret una missa pro toto orbe, cum sacrificium Christi sc. in cruce fuerit infiniti valoris. Nulla esset porro differentia cruenti et incruenti sacrificii.<sup>54)</sup> Nulla esset prorsus applicationis differentia, sed aequa Augustinus pro matre sua Monica et omnibus hominibus curasset missam celebrari. Nulla esset anniversarii, primi, septimi et trigesimi ratio, contra Tertullianum et Ambrosium, et multae aliae confusiones intolerabiles sequerentur in ecclesia Dei, cum Christus in cruce pro toto mundo oblatus sit, ecclesia in missa solum offert pro fidelibus, licet utrobique, in cruce et missa, sit idem Christus oblatus, sed aliter et aliter.

Ecclesiam quoque seipsam offerre in missa, neque Patribus convenit, neque canoni missae, si de fide, spe et charitate loquitur, hoc et David et Isaias fecerunt in synagoga. Ita longe alia est oblatio, quando populus sub missa offerret panes, vinum, ceram, ova, farinam, pannos etc., quam oblatio, quam facit sacerdos in canone missae, ut prorsus absurdum sit oblationem laicam commiscere cum divinissima oblatione sacerdotali.

#### De usu et administratione sacramentorum et caeremoniis ac privata missa

abroganda. Art. 20.

I. Articulus iste, qui residet in consilio duorum se subscribentium,<sup>55)</sup> quia est contra usum et consuetudinem totius ecclesiae, contra fundationes ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, contra ultimas voluntates eorum, qui beneficia exererunt, contra omnem rationem et favet novellis

<sup>53)</sup> Pflugius: Virginis.

<sup>54)</sup> Pflugius verba Nulla usque Sacrificii non habet.

<sup>55)</sup> Cfr. Apologia Eckii LII.

naereticis, qui nuper incepert missas privatas abrogare propria temeritate, ideo damnandus est iste articulus toti ecclesiae contrarius.

- II. Consultores non expenderunt sufficienter malignum animum adversariorum ecclesiae, qui in duabus oppugnant ecclesiam: primo quod sacerdos non celebret, nisi habeat communicantes, et<sup>56)</sup> etiamsi habeat, quod omnes etiam communicent ab uno celebrante missam publicam. Et quo plus minueretur cultus Dei, excogitarunt, ut sacerdos celebrans non teneatur ad communionem, contra expressum c. 5 duodecimi concilii Toletani.
- III. Missas privatas semper fuisse in ecclesia Dei, liquet ex Alexandro Papa I., Honorio III., Telesphoro, Leone, Gregorio Magno, Augustino, Ambrosio et pluribus conciliis.
- IV. Via esset haereticorum sepeliendi cum tempore missam penitus, id quod<sup>57)</sup> iam fecerunt; ita frigescente charitate, iam per octavam nullus adasset communicans, postea per mensem, deinde per trimestre etc et sic evanesceret missa. Ubi tum maneret iuge et quotidianum sacrificium?
- V. Ad quid zelus veterum christianorum fundasset L monachos aut sacerdotia in uno loco, ubi solum una missa sufficeret publica? Ad quid tot altaria, tot capellae in et extra ecclesiam ab antiquissimo tempore sunt in eodem loco constructa, sicut B. Gregorius tredecim meminit altarium sanctionis extlectorum?
- VI. Cum missa proposit vivis et defunctis ac toti ecclesiae, cur ob defectum non communicantium sacerdos vellet illos privare fructu tam utili? Et cum missa celebratur, ut recolatur memoria passionis et mortis Christi, cur laici et non communicantes, tum astantes missae privantur illo commodo, ut nec excitentur ad gratiarum actionem pro morte Christi, nec simul offerant spiritualiter cum sacerdote in missa hostiam illam vivificam?
- VII. Et quod laicus facile intelligit, si memoriam mortis Christi et sacrificium in una missa agere bonum est et Deo placet, quanto magis placet Deo, si id saepius et pluries fieri? Sicut habentes beneficia fundata ad plures missas, quomodo salva conscientia illas omittent contra supremam fundatorum voluntatem, quos debitum defraudant suffragiis?

In summa: qui consilunt missam in totum auferri, ut Zwingiani, aut in parte, sicut Lutherani, aut qui in voluntatem celebrantium conferunt, ut consultores nostri, sunt praecursores illius, qui auferet iuge sacrificium et ponet abominationem in desolationem.

#### De communione sub utraque specie.

Iste narrans sententias haereticorum et catholicorum nihil offendit secundum se, extollit [se] super utrumque volens dare consilium contra concilium Constantiense et Basiliense ac universalem ecclesiam, foede labitur et ratio, qua vult persuadere plebi Germanicae permittendum, ut libere utraque specie utatur, praecise probat contrarium, quod non debeat eis permitti. Nam si ideo permittendum est plebi, quia sit persuasa, mandatum Christi integra require sacra, ergo persuasa est, universalem ecclesiam facere contra mandatum Christi. Et ita damnat omnes laicos communicantes sub altera specie tanquam facientes contra institutum Christi. Videat author, quid ex suo consilio inde liberato sequatur.

Rectius Basiliense concilium et posteriores concordiam proposuerunt sub his punctis. Primo quod credant, communionem sub utraque specie non esse praecēptum. Secundo quod credant et ita doceant laicos, non peccare, qui sub altera tantum communicant. Tertio quod doceant et credant,

<sup>56)</sup> Pflugius: secundo.

<sup>57)</sup> Pflugius: Zwingiani.

non plus sumi sub duabus speciebus, quam sub una. Quarto quod sub una specie sumatur totus Christus, id est tam corpus quam sanguis eius. Quinto quod adversarii in ecclesiis suis laico petenti alteram speciem non denegent. Sexto quod cura adhibeatur per utramque potestatem, ne sacramento calicis irreverentia exhibeatur. Hanc concordiam catholicam spero ecclesia non respueret.<sup>58)</sup>

De missa in vulgari dicenda.<sup>59)</sup>

Quia sc. iste nihil disponit, nolumus scrupulosius agere cum illo, licet ad Waldensium errorem eavendum consulendum sit, ut in lingua latina legatur missa in ecclesia latina.

De disciplina ecclesiastica. Art. 21.

Articulus ille est magis narrativus quam dispositivus. Haec tamen addiderim: Primo male citari Augustinum c. nuptiarum 27 q. 1., qui loquitur de voto simplici, non solemni. Secundo a tempore Apostolorum non fuisse auditum sacerdotem legitimum contraxisse matrimonium. Tertio uxores generaliter non posse permitti sacerdotibus nisi in concilio generali. Quarto si Pontifex vult permettere Lutheranis iam uxoratis, ut retineant uxores, et eis clementiam sedis apostolicae impetriri, in suo stat arbitrio, non tamen fungantur officio sacerdotali.

De disciplina populi. Art. 22.

Articulus in se verus, nisi quod in cauda videtur aliquid tribuere hostibus fidei de ieuniis, feriis, delectu ciborum et similibus. Super quibus aliquos doctos et pios volunt constituere, qui ea moderentur, cum multa ex his ab Apostolis ad nos usque dimanaverint.

Soli Deo gloria.

1541

Sexto Iulii

Ratisbonae.

IV.

Iesus.

Quoniam puto periculosem causae catholicae esse, si adversarii deprehenderint nos vera et recepta per Catholicos arguere — nam cum hoc ostendunt, augent existimationem doctrinae suea apud omnes et nostrorum theologorum minuunt —, ideo puto bene advertendum esse in hac re. Quamobrem notavi ea, quae mihi videntur non esse iure reprehensa.

Quod Adam fuerit creatus in gratia, est opinio expressa B. Thomae et multorum theologorum, qui semper habiti sunt catholicci. Item quod' habuerit clariorem notitiam Dei, quam nos homines, licet non intuitivam.

<sup>58)</sup> Pflugius: per ecclesiam non respundam.

<sup>59)</sup> Pflugius addidit: lingua.

**De libero arbitrio.**

Ea distinctio, quae reprehenditur, est Magistri Sent. in secundo libro. Est Bernhardi in lib. de gratia et libero arbitrio. Paulus dicit: Cum servi essetis peccati. Item dicit: liberati a peccato. Christus in Evang.: Qui facit peccatum, servus est peccati. Et si filius vos liberaverit, liberi eritis.

**De causa peccati.**

Adam est circumventus. Miror, quod non correxerit.

**De originali peccato.**

- I. Dictum est supra de opinione Thomae et multorum Catholicorum.
- II. Si per incredulitatem intelligamus actum infantis, est stultum, non Melanchtonicum tantum, sicut post baptismum si per credulitatem intelligeremus actum, esset stultum. Sed auctor sicut per credulitatem intellexit habitum fidei, ita per incredulitatem intelligit privationem illius habitus, fidei inquam.
- III. Concupiscentia, peccatum sc. originale, licet in quovis singulari non prorumpat in omnem actum peccati, ob diversas complexiones, mores et alia accidentia, in omnibus tamen iunctim prorumpit in omne genus peccati. Quamvis Aug. et Bern. gratias agunt Deo de peccatis, etiam quae non fecerunt, quoniam omnia peccata fecissent, nisi Deus eos praeservasset. In Assuero etiam gentilium dicit Aug. in lib. de gratia Christi contra Coelest. et Pelag.: Quod Deus cor eius immutavit.
- IV. Non vacat illam autoritatem et librum considerare.
- V. Imago Dei naturalis manet, sed deformata, cum caret gratia et charitate. B. Tho. hoc dicit et est clarum.
- VI. Nusquam dicit Aug., quod in rebus omnibus sit vestigium imaginis. Sed dicit, quod in omnibus est vestigium trinitatis.
- VII. Non vacat, ut videam Aug. verba, nec librum habeo.
- VIII. Violenter fieri quodammodo potest dici etiam id, quod voluntarie fit, cum est contra inclinationem naturalem, unde Apostolus dicit, se nolentem facere, et propterea ipsum non operari. Quod tamen non esset peccatum, nisi esset aliquo pacto voluntarium. Sic nolens quodammodo facit mercator in navi iacturam mercium. Ut Aristo. dicit in 3 Ethic. et evangelium dicit, quod discipulis euntibus in Emaus . . . , et centum loci in scriptura invenientur similes.
- IX. Circa nonum miror, quod contra dicatur, cum in eo sit conventum de peccato, sc. originali, et est sententia Augustini.

**De iustificatione hominis.**

- I. Totus ille articulus non est authoris libri, sed Eckii et aliorum colloquentium.
- II. Secundus. Quod per inherentem iustitiam placeamus Deo, nullus negat, sed quod illa nitamur, tanquam omnino satisfacientes iustitiae divinae, et quae requiritur in filiis Dei et consortibus divinae naturae, nullo modo credo, sed hoc nobis praestat iustitia Christi nobis imputata.
- III. Mihi videtur, quod sit modesta potius retractatio illa quam assertio, ex sola fide iustificamur. Sed etiamsi esset assertio, cum iam supra dictum sit, fidem iustificantem esse fidem efficacem per charitatem, non esset reprehendendum.

### De ecclesia et eius signis et authoritate.

I. Nolo discutere authoritatem, sed ecclesia triumphans est ecclesia praedestinatorum nobis occulta. Et hoc clarum est, non tamen iudicandi potestas ei tribuenda est aliquo pacto, ut multis rationibus ostendi potest.

### De poenitentia post lapsum.

I. Non vacat conferre totum Paulum cum libro, ideo nihil dicam. Sed vidi alios et fortasse Cyprianum aliter etiam exponentes locum illum, quam de iteratione baptismatis.

Partes materiales poenitentiae sunt tres illae, sc. contritio, confessio et satisfactio. Sed formalis est absolutio, per quam vivificamur.

### De sacramentis et de ordine.

Non est dubium multa omitti, sed meo iudicio non est exigendus in libro perfectus tractatus sacramentorum, sed admonitio (?),<sup>60)</sup> ut possit fieri tractatus et colloquio.

### De eucharistia.

Mihi videtur idem dici a reprehensore et ab authore libri, sed uterque poterat distingue sacramentum a re contenta sub sacramento, si exacta illa diligentia utendum est.

### De poenitentia.

Nusquam dicit author, quod satisfactio Christi sit sacramentalis, sed quod per absolutionem nobis applicatur.

### De matrimonio.

Nulli puto dubium fuisse, quodsi capiamus sacramentum pro ecclesiae sacramento<sup>61)</sup>. De quibus agitur in libro, quod matrimonii sacramentum est solis christianis peculiare. Unde in aliis non est ratum et firmum seu indissolubile, quod competit matrimonio christianorum ratione sacramenti. Quod ponitur inter tria bona matrimonii, hoc Aug. et Ambro. expresse dicunt.

### De vinculo charitatis.

Fuit correctus in principio pro charitatis vinculo unionis, deinde in aliis sequentibus non correctus fuit per oblivionem. Quamvis charitas soleat etiam largius accipi pro unione et amore, etiam non a Spiritu sancto infuso.

### De ordine ecclesiastico.

Non possum videre, quid dicat author de caeremoniis, sed admonitio mihi placet.

### De invocatione sanctorum.

Reprehensio est mera calumnia, nam invocatio sanctorum nominatim clare sumitur ab authore pro eorum compellatione, quoniam ad ipsos vertitur oratio, sicut in letaniis fieri solet, qua ratione

<sup>60)</sup> In mscr.: admonitionem.

<sup>61)</sup> Fortasse: sacramentis(?)

invocandi nunquam in orationibus missae ecclesia utitur. Quod sancti non efficacius orent quam nos, est dubium, sed in similitudine non est ea exactio requirenda. Immo igitur author uti[tur] argumento a minori, si conservi viatores, qui minore charitate sunt praediti, orant pro nobis, multo magis orant pro nobis sancti, qui sunt praediti charitate maiori.

### De reliquiis sanctorum et imaginibus.

Laudo maiorem explicationem, nihil tamen falsi continetur in libro.

### De missae sacrificio.

Id quod reprehenditur est verissimum, unam sc. oblationem Christi esse semper eiusdem virtutis, neque esse aliquo pacto ob diurnitatem temporis imminutam. Differt tamen ab oblatione sacerdotis, verum eius efficacia applicatur nobis per oblationem sacerdotis, verum, ut inquit Thomas in 3. parte, pro devotione et fide nostra, ideo quibusdam magis, quibusdam minus, quibusdam nihil confert, eis sc. qui non coniunguntur Christo per fidem et charitatem. Quod ecclesia se ipsam offert in missa, expresse dicit August. 10 lib. de civi. Dei.

### De usu sacramentorum etc.

Quoniam consultores fuere in hac sententia, ut missa celebretur etiam sine communicantibus, et de consilio dato nullam ferunt sententiam, remittuntque omnia ea expendenda statibus Imperii et iudicanda a sancta sede apostolica, idcirco nihil amplius dicendum restat.

Hoc respondit R<sup>mus</sup> D<sup>nus</sup> Legatus Contarenus Eccio.<sup>62)</sup>

### V.

### In nomine tuo, dulcis Iesu.

Quod R<sup>ma</sup> Paternitas Vestra scribit se notasse, quae non videntur iure reprehensa, ego personam vestram veneror, ut debeo. Ideo nolo cum ea contendere, sed fingam Gropperum (licet non tantum posset praestare) talia mihi obiicere, eum pro meritis tractarem.

Unde de notitia Adae defensio est, quod Adam habuit notitiam clariorem quam nos, licet non intuitivam, anne ita scripsit Gropperus, anne in hoc sibi contradixi? Sed volui ostendere, quod non sequeretur modum receptum theologorum loquendi. Ostendi enim modum loquendi Augustini, Magistri et theologorum, ipse pueriliter dicit, notitiam vivam habuit Adam, quia in hoc differret Adam a nobis in statu lapso, quasi non omnis notitia esset viva.

Si esset theologus Coloniensis, tunc ex Thoma didicisset (fuit prima mea lectio, quam audivi Coloniae a Theoderico Suestern, sunt iam XL anni), quod, sicut dicit Aristo., vivere in viventibus est etc., ita intelligere in intelligentibus est vivere (non habeo librum, si a verbo excidero), quare omnino notitia est viva, et adeo quidem, quod si non est viva, non solum in hominibus, sed etiam in brutis,

<sup>62)</sup> Ita manu sua Pflugius.

tunc non est notitia, quia ad hoc, quod sit notitia, requiritur, quod vitaliter immutet potentiam, alioqui lapsis positive in intellectu esset notitia eius. Si ergo vitaliter immutat, viva est semper notitia, licet efficientiam non credam necessariam causam, propter notitiam Adae, sapientiam Salomonis, doctrinam Apostolorum. Forte canonista dum audivit loqui de fide viva, sermone Dei vivo, operibus vivis, quod etiam aliquid adderet vivum in notitia, dicat mihi, ubi doctores soleant notitiam mortuam.<sup>63)</sup>

Quod Adam habuerit clariorem quam nos, hoc ipse non dixit, quod nos omnes scivimus, antequam Theognes nascetur, quia ipse habuit cognitionem substantialem in se, cum alias [non] imposuisset nomina omnibus animalibus. Nos autem nullam notitiam substantialem in se cognoscimus (in se, id est, quod nihil aliud concurrat in ratione obiecti), tum in conceptu communi substantiae et accidenti, ita quod punctum substantiae vacat apud viatores in conceptibus ultimatis, et quanto ista est simplicior, tanto minus simpliciter et absolute eam intelligimus, ideo ut ipsum quoque Deum simplicissimum non possimus intelligere nisi in conceptu composito et complexo, et haec sunt communia theologiae.

Si penetrasset adyta theologiae, ex Paulo aliqui capiunt: Nunc videmus in aenigmate et speculo, tunc autem de facie ad faciem, triplicem vidisset notitiam, unam aenigmaticam, quae est viatorum, aliam specularem, quae est clarior, quae fuissest in statu innocentiae, et facialem, quae et beatorum. Quod Alphonsus Toletanus ponit quartam superintuitivam, nos non impedit. De adiuncto, quod Adam non habuerit notitiam intuitivam Dei, est communio sententia doctorum. Tamen si potuisset Gropper, voluisse eum circumspectiorem propter plurimos doctores, qui dicunt, sicut Paulus in raptu, Moyses in monte, ita Adam in sopore videt essentiam divinam. Sed in raptu, extasi, transeunter, in excessu.

Primae censurae respondet, quod Adam fuisse creatum in gratia sit opinio Thomae et sequacium, qui fuerunt semper habitu catholici. Respondeo tibi, Groppere, non hoc improbavi, quia haereticum, sed dixi esse contra communem, et in tradendis in communi seu communitati oportet sequi communem viam, sicut Fortunatus de verbis ait utendis sicut publica moneta signatis, sententia Augustini, Magistri et communiter recepta per sequentes theologos: Altifred, Wilhelmum Parisiensem, Ales, Albertum. Scio, quod Thomas in Secundo posuit, Adam habuisse gratiam, sed et Bernardus cum Magistro ponit, primo solam iustitiam habuisse originalem, qua cum bene uteretur, additam gratiam. Unde si fuissent docti adversarii, quos nobis dedissent . . ., quod a communi sententia theologorum recessimus, cum pauci sint Thomistae in Germania, nisi qui sint praedicatorii ordinis.

#### Secunda censura de libero arbitrio.

Dicis. Goppere, illa distinctio, quae hic reprehenditur, est Magistri Sententiarum in II. Et est Bernardi de libero arbitrio. Et Paulus dicit: Cum servi essetis peccati, liberati a peccato. Item Christus dicit: Qui facit peccatum, servus est peccati.

Primo requiro maius in te acumen disputandi; non improbavi distinctionem, sed dictum, quod Adam per lapsum amiserit libertatem etc. sola libertate a<sup>64)</sup> coactione retenta. Hoc non habet Magister nec Bernardus neque aliquis doctor in mundo, cum experiamur in nobis multas alias libertates, sicut dixit Dominus ad Cain. Christus dicit: Habetis pauperes semper apud vos, illis potestis benefacere, si vultis. Et Paulus dicit: Potestatem autem habens voluntatis suae, ad Corinth. Quid est, quod, Groppere, nullam nobis velles relinquere libertatem, nisi diaboli et omnium damnatorum? Non habeo Bernardum, sed scio, quod ipse asserit voluntatem non posse cogi pro ingenita sui nobis.

<sup>63)</sup> Deest verbum.

<sup>64)</sup> Msc.: ac.

litate. Et de illa libertate dicunt doctores, quod est acqualiter in omnibus et non capit maius neque minus. Et ergo Adae et nobis dare solam hanc diabolicam libertatem est error, immo haeresis, contra expressos locos scripturae, contra omnes Patres, contra experientiam tam in ethnicis quam christianis. Authoritates adductae sunt impertinentissimae. Unde valet consequentia: Qui peccat, servus est peccati, ergo non habet libertatem nisi a coactione? Perdit enim aliquas libertates peccator, rectum est, ut explicat Magister, sed non ita totus despoliatur ut diabolus, sed quia non habet libertatem a miseria et a peccato, et quia ad iustitiam faciendam non est quis liber, nisi a peccato liberatus, salva est semper Augustini sententia: Semper in nobis voluntas libera est, sed non semper bona est.

R<sup>me</sup> Pater.

Haec volo responsa Gropperi, sum contentus, ut innitaris Gropperi, si in canonibus suis vel grammatica reperiat plura theologica, quam ego in XL annis. Caesar Augustae usus est concilio XXVI Theologorum praeter eos, quos privatum postea adhibuit. Ideo egregium fecit recessum, quem hactenus in omnibus tractatibus semper voluit esse exceptum, sicut expressis verbis excepit. Hic autem (etsi pauci fuerunt theologi Germani, tamen habuisset Hispanos et Italos) non est usus eorum concilio. Ego habeo, quac theologi plures Vormatiae conceperunt pro concordia. Nemo hominem quaesivit de illa concordia. Canonistam elevarunt, qui nunquam disputavit vel egit cum Lutheranis. Et tanta fuit expectatio huius dietae, et cadit in spongiam cum maximo contemptu Caesaris, nunquam apud nos venit in maiorem contemptum. Scio maxima impedimenta Caesaris, habet Turcam et Mauros in mari molestantes ubilibet regna sua. Habet Gallum non satis fidum, ne si inciperet bellum cum haereticis, iste inundaret Mediolanum, Niciam, Neapolim, Genuam, Florentiam. De Anglo quid omnino parturiat, Deus novit. Caesar timet. Danus aperte est contra Imperatorem. Qui omnes adiuvarent Lutheranos et alibi Caesari negotium facerent. Frater etsi potentissimus, tamen tot impeditus est periculis, ut nec suis viribus se possit tueri. Catholici etiam magnam spem habuerunt de Legato Apostolico, qui iam magni nominis erat apud nos, et Lutherani ita obtulerunt se, ut viderentur amantes pacis (licet ego arbitrer, quod more haereticorum omnia dolo faciant), potuisset Caesar tractasse media, quae fuissent ei honorifica, abiecto inutili libro Gropperi, partim ex suggestione Lutheranorum confecto, remedia dedisset meliora et securitatem parasset nobis Catholicis meliorem. Non ita alienasset a se animos principum catholicorum, quos suspendit ad mensem pro colloquio, postea nihil protulit nisi librum erroneum, quem nullus eorum pateretur in dominiis.

Non est, quod credas, me alicuius hominis odio dicere ista, si nosses me sicut omnes, qui mecum agunt et negotia habent, ab odio sum alienissimus. Libertate quadam gaudeo et usus semper sum erga omnes, et post negotia et studia laetissimus. Sed hoc doleo, quantum exprobrabunt nobis adversarii: Ecce nihil obtinuistis Ratisponae. Doleo, quod mendacibus verbis subditos suos firmabunt in errore. Doleo, quod multi, qui hactenus fuerunt suspensi animo in adventum Caesaris, cum viderint eum penitus agentem contra inobedientes et rebelles, quos fortissime sollicitabunt Lutherani et munieribus, donis (saltem potiores civitatum) et promissionibus et quod velint eos tueri etc.

Caesar abit Neapolim et consiliarii sui. Legatus Apostolicus revertitur Romam. Si eras et perendie Lutherani insurgent contra episcopatus, si movebunt bellum contra omnes Catholicos, si aliquas civitates pressuri sunt, ut cogantur ad Lutherismum, hoc vobis remote positis erit, ac si audieritis historiam Troianam aut negotium Persicum aut Indicum.

Nobis, qui prope sumus, erit res durior, venient ad me cottidie sacerdotes catholici exules, illis ut provideam de honesta conditione per totam Bavariam, mihi scribendum est. Veniunt laici catho-

lici querulosi, petunt consilium, quibus non est semper consultum migrare et mutare domicilium. Quid si ego et alii in hoc involvemur malo, ut in corporis et bonorum pericula incidamus? Wirtenbergius est nobis adeo infensus, ut nemini alteri. Augustenses et Ulmensis et Memmingenses sunt tales, quales novistis. Iam Deo volente si bona valetudo redierit, ego ascendam Ingolstadium ac timere habeo et dubitare, an Georgii sim in pace habitatus in aedibus meis, aut pellar in exilium.

Haec sunt, quae cruciant, quae me perturbant, negotium sanctae fidei semper in deterius vergere, et nos magno exponi periculo. R<sup>me</sup> Pater, si quid scripsi quod videatur pungere, et Eccianae tribue libertati et iusto dolori.

Primam<sup>65)</sup> partem censurarum peto remitti. Alteram partem querelae non peto.

Saepius enim volvit amino meo quam velim.

Eckius obsequentissimus.

## VI.

Contra reprehensionem Ioannis Eccii Theologiae doctoris defensio libri, quem Imperator noster de religione colloquentibus Ratisbonae exhibendum voluit.

Vellem Eccius in eo iudicio, quod de libro nobis exhibito fecit, lenitatem potius spiritus, quam suos animi motus in consilium adhibuisset, ut eo minus necessaria esset haec defensio nostra, sed uno potius sensu et singulari animorum coniunctione in ecclesiam Dei nunc vehementer laborantem incumbere possemus.

Verum cum hunc animi sui impetus et contentionis cupiditas eo provexit, ut librum illum sine ulla iusta causa (quod tamen pace ipsius dixerim) oppugnare non dubitaret, committere haud possum, ut pro mea virili parte illum non defendam, quod tamen faciam permodeste, eo quod Eccium propter doctrinam excellentem diligo, nec contra quod ille scripsit dicerem, nisi officium meum postularet, ut veritatem, quae plurimi omnino facienda est, meo erga illum amori anteferrem. Sed nunc ad rem aggrediar et quae ille in singulis libri capitibus reprehendit executiam.<sup>66)</sup>

## VII.

Nostra exhibita Legato R<sup>mo</sup> D<sup>o</sup> Contaren<sup>67)</sup> Ut ecclesias Misnen, atque Naumbergen, hoc ipsarum asperrimo tempore vehementer perturbatas constituere possimus atque conservare, earum quae subiungimus rerum ratio cumprimis habenda esse videtur, hoc est: doctrinae sanae, administrationis sacramentorum, muneris episcoporum atque aliorum clericorum, dogmatum item quorundam ecclesiae, vitae et honestatis clericorum, constitutionum scholarum, beneficiorum ecclesiasticorum et alimentorum egentium.

<sup>65)</sup> Alia manu literisque gothicis scriptum.

<sup>66)</sup> Sequitur defensio quatuor priorum libri Ratisbonensis articulorum.

<sup>67)</sup> Pflugii manu inscriptum, non scriptum.

Doctrina sit sane talis in ecclesiis illis, ut primo omnium hominem a peccato abducat ad humilitatem veram atque poenitentiam, deinde ut Christum ostendat cum omnibus beneficiis suis, quibus salus nostra continetur, et fidem simul atque fiduciam excitet, qua, videlicet Christo, quem propriatorem nunc habemus per fidem in sanguine eius et per quem accessum habemus ad patrem et per quem omnia nobis bona donantur<sup>68)</sup>, idem ipse homo nitatur. Tum ut Deum atque Christum ante omnia diligat et amet, postremo ut ad innocentiam vitae et opera bona inflammetur. Hanc puto summam esse christianaे doctrinæ, quae populo simpliciter, pie ac sine ulla contentione est ita adferenda, ut discat in Domino solo gloriari, et in omni opere bono abundet et habeat Deum sibi propter Christum perpetuo prospicuum.

Usus autem sacramentorum talis sit et eius plane generis, ut pietatem veram atque fidem alat, et quod ad baptismum attinet, verba eidem adhibeantur vernacula, ut ab astantibus et susceptoribus intelligi possint. Quod cum populi voluntas in praesentia postulat, tum authoritas canonum atque Pauli comprobatur. Breviter retineantur in ecclesia sacramenta illa septem, et non sine accurata et pia exhortatione conferantur.

Iam vero quale sit munus episcoporum ac cleri, et scriptura et canones passim docent, ac certe quanto hoc magis est necessarium atque ubiores adfert fructus, tanto magis cavendum est, ne inepti homines aut improbi ad illud ipsum obrepant. Vigeat igitur in ecclesiis nostris electio canonica et non suscipiat ullus episcopus aut praelatus administrationem in iisdem suam, nisi rite sit a collegio electus et ab ordinario suo confirmatus. Ac si fortasse episcopus propter magnitudinem rerum et negotiorum huius temporis non possit munera sua omnia obire ipse, sive ea ad ordinem sive ad iurisdictionem pertineant, adiungat is sibi suffraganeum doctum ac prudentem, qui vices ipsius, cum opus sit, gerat. Atque ut ad munera veniamus, collatio ordinum est unum e praecipuis, quod caute omnino tractandum est, ne episcopus eiusve suffraganeus aliena peccata faciat sua. Itaque de vita eorum, qui sacris initiantur, moribus atque doctrina diligenter inquiratur audiaturque testimonium eorum, quibuscum vixerunt. Praeterea visitationes atque synodi, quae iam prope sublatae sunt, restituantur. Nam si ullum unquam fuit tempus, cum illae essent necessariae, hoc certe tempore tantum est eorum necessitas, ut sine magno ecclesiae detrimento praetermitti minime possint. Adhibeantur igitur illae temporibus a iure praescriptis, et inquiratur primo omnium de doctrina, cuius certa et pia quaedam formula exstat. Deinde de administratione sacramentorum, postea de vita et moribus cleri, tum de stipendiis et beneficiis ciudem, postremo de fabrica ecclesiarum et vita populi, ut eveli possint ex illis omnibus, quae prava sunt, et quae bona atque salutaria conservari et amplificari. Nihil attinet hic singula praelatorum munera commemorare. Quae omnia ad regulam canonum atque statutorum nostrorum sunt dirigenda. Scholastici tamen munus, qui hoc tempore inane tantum nomen habet, praetermittendum non est. Incumbat idem in id, quod titulus eius pree se fert, atque ipse vel per se vel per alium iuniorem clerum ad doctrinam pietatemque instituat habeatque ius emancipandi, nec ullum antea canonicum admittat in capitulum, quam doctrinam moresque illius comprobaverit. Ac cum magna in scholastico industria requiratur, non eligatur ad eam dignitatem alius, quam qui et virtute morum et doctrina sit ornatus. Et mea quidem sententia expediret ecclesiis illis, ut veteri certarum ecclesiarum more iuniores canonici et clericci, hoc est qui nequum decimum octavum aetatis suae annum excesserint, victum haberent apud scholasticum, ut eorum mores eo melius formarentur. Quod si fieret, sperandum esset, nos brevi multo meliorum quam nunc ecclesiarum formam esse habituros.

<sup>68)</sup> Quem — donantur. Ita Pflugius manu sua correxit pro: in quo et ex quo et per quem nunc bonum est.

Monachi et fratres sint illud, quod se esse profitentur, et in piis precibus, psalmis et in lectione sacrarum literarum consumant omne tempus suum, ac quibus natura bonam dedit ad dicendum vocem, iidem exerceant sese, ut possint esse praedicatores idonei.

Coenobia virginum sint et loca pietatis cultusque divini et scholae puellarum, quae in eis ad optimos quosque mores iustiuantur.

At parochorum praecipua ratio habenda est, nam quanto maior fructus ex ipsorum industria capit, si eam gnaviter adhibeant, tanto maiora important mala illi, cum in officio suo claudicant. Quare archidiaconi eorumve officiales in illis instituendis hoc sequantur, ut populus habere possit pastores, qui et verbo domini pascant illum et bono vitae exemplo ad optima quaeque incitent.

Atque ut luceat vita et honestas clericorum coram hominibus, ineatur ratio, quemadmodum crimina, quae illis officiunt et obiiciunt scandala gravia populo, tollantur. In quibus sunt ebrietas et turpitudo concubinatus. Utramque censeo severitate canonica esse coercendam, sed hic tamen cautione opus est, ut cum concubinatum, qui iam prope inveteratus est, amovere velimus, ne gravioribus flagitiis demus occasionem. Et quia cohabitatio mulierum subiicere videtur materiam criminis illi, res eo deducenda est, ut non necesse sit clero domi habere suas mulieres. Hoc effici posset, si publicus victus praebetur clero singularum ecclesiarum, ut qui sine suspectis personis cibum sibi parare haud possunt, iidem e mensa communis caperent cibum. Difficilius aliquanto sacerdotibus, qui ruri vivunt, in hac re consuli potest, nisi constitutio de coelibatu auctoritate publica vel sublata fuerit vel relaxata, de quo tamen postea suo loco agetur.

Iam vero sunt certa in ecclesia dogmata, quae doctorum hominum disputationibus vehementissime exagitantur, qualis est invocatio sanctorum, quam explodunt multi nostorum hominum non aliter, quam idolorum cultum. Causam dedit huic contentioni quorundam superstitionis, qui in colendis sanctis fuerunt nimis sibique persuaserunt, a Deo nos nihil impetrare posse, si sanctos non invocassemus. Itaque adhibeatur hic pia quaedam et iusta moderatio, ut et sanctos invocemus tanquam membra corporis Christi, quae est ecclesia, quo pro nobis intercedant, et doceamus eosdem non idecirco invocandos esse, quasi sine ipsorum auxilio Deum exorare non possimus, verum ut ille multiplicatis intercessoribus eo magis honoretur, et ut talem modum faciamus honori sanctorum, ut quod Dei proprium est, in illos transferamus.

Faciunt item nobis certi homines negotium propter purgatorium, quod cum tale sit per se, ut nihil habere possit impietatis et sit idem dogma ecclesiae catholicae, debemus id quidem tueri, sed ita tamen, ne rem eam ad questum conferre videamur. Statuatur igitur modus et vigiliis et missis defunctorum ac deleatur ex ecclesia turpis illa species, qua distributionum tantum causa ad ea sit concursus, eo autem tempore et modo fiant sacra illa in collegiis, ut totus clerus commode et sine impedimento maiorum munerum iisdem interesse possit.

Missa vero non minus hoc tempore oppugnatur quam invocatio illa. Hic ne propter vitia nostra institutum Christi tollatur ex ecclesia, cavendum est, ne missae sint in posterum venales et ne cuilibet liceat hoc sacrum facere, quin ab eo arceantur, qui publicis criminibus inquinati sunt, tum ne celebrentur missae sine astantibus duobus minimum<sup>69)</sup>, qui assensum praebeant. Ratio autem oblationis bene explicetur evellaturque opinio de eruento sacrificio, quae impressa est animis multorum, quasi nos velimus illud ipsum sacrificium iterare. Doceatur item populus, nos Christum in altari offerre et sistere Deo patri, tum ut memores mortis domini gratias illi agamus, tum ut una cum Christo fide vera, quatenus membra sumus corporis ipsius, nos ipsos Deo offeramus. Haec nihil

<sup>69)</sup> Lectis Contareni annotationibus a Pflugio additum.

incommodi habere possunt et pertinent magnopere ad pietatem ipsam acuendam. Quin etiam canon ipse explicetur<sup>70)</sup> sacerdotibus, ut ne quid scrupuli in animas ipsorum incidat, in tanta praesertim contentione hominum. Potest autem afferri vera et commoda illius interpretatio, quae aequis rerum aestimatoribus et laicis etiam ipsis satisfaciat, ac populus omnino monendus est atque incitandus, ut crebro communicet.

De ritibus ipsis atque caeremoniis excogitur ea consilii ratio, ut etiam illae suum modum habeant. Tollantur igitur ex horis canoniciis, quae superstitionis irreperserunt, ac cum certi sint ritus et cantica, quae plus offensionis pariunt hoc tempore quam utilitatis, ea ita sensim amoveri possunt, ut in ipsorum locum substituantur alia, et ea quidem cum ab ecclesia recepta, tum pietati accommodata. Est quidem populus in eam sententiam ductus, ut non putet toleranda esse, quae superstitionis aliquid prae se ferunt. Eoque fit, ut privato consilio tollantur passim veteris religionis caeremoniae. Quod ne accidat, ecclesiis illis necessaria est moderatio quaedam rituum ecclesiasticorum, qui non sunt iuris divini.

Quod vero ad constitutiones attinet, gravissime hoc tempore oppugnatur illa Constantiensis concilii, quae prohibet utramque eucharistiae speciem, et quia non solum schismatici, sed etiam catholici nostri desiderant liberum eius sacramenti usum, et multi iam ob eam tantum causam ab ecclesia defecerunt et deserturi esse videntur brevi, nisi id caveatur, flagitat non solum utilitas, sed etiam necessitas ecclesiarum Misnen. atque Naumburgen., ut relaxet Pontifex noster Max. eam constitutionem nec patiatur propter illam tot animas hominum in pericula coniici. Eadem fere ratio est coelibatus, cuius supra mentionem feci, et ut nunc sunt tempora atque mores, aut concubinatus tolerandus est non sine gravi ecclesiae detrimento atque dedecore, aut lex de coelibatu mutanda. Quin res ita se habet, ut non facile amplius inveniamus sacerdotes coelibates, quos parochiis praeponere possimus. Nolle canonem et morem de coelibatu antiquari aut mutari; neque enim ignotum est mihi, eum qui coelebs est aptiorem esse ad cultum Dei, quam qui uxorem habet. Sed facit tamen necessitas horum temporum, ut maioris mali vitandi gratia mutationem illius canonis desiderem.

Accedo nunc ad scholas, unde clerus prodire debet, nam in ista sacerdotum paucitate non video, quemadmodum ecclesias tueri possimus, nisi scholae bene institutae fuerint, cuius quidem rei cum non ita magna ratio habita fuerit antehac, ecclesiae nostrae magnum sane detrimentum ceperunt. Scholae igitur in ecclesiis illis ante omnia instaurentur, nec ullis omnino sumptibus parcatur, quodicti et probi magistri conducantur. Conducatur item sacerdos quidam probus et literatus, qui pueros in ludo ad bonos mores et pietatem formet. Quod hoc tempore, cum non solum cleri, sed etiam populi disciplina dilabitur, cumprimis necessarium esse videbitur. Instituantur item scholae theologorum, quibus minimum duo docti ac pii praesint, qui scripturas diligenter interpretentur. Hos et iuniores clerici audiant et adolescentes certi atque iuvenes, qui ex publico alantur erudianturque ad rerum

<sup>70)</sup> Exstat in cartis Pflugii talis eius explicatio canonis usque ad: Memento mortuorum; attamen translatione latinae expositionis canonis videtur esse, id quod ex hisce locis elucet: Ad verba: Qui pro vobis et pro multis . . . notat ad marginem: „Im latein stehet viget, vff dewtsch grunet, ich habe mechtig gesagt.“ Ubi explicat verba: Iube haec perferrri . . . : So halten wir sehr an mith gebet, durch dasselb dir geopfert vnd befolen vnd mith dir versunet czu werden. Et qui a nobis invisibiliter operetur in coelo, pergit: Allhie ist das latein nicht vollkommer dt, darumb hab ichs nicht mogen verdewtschen nach rechten verstant; in margine autem notavit: Vielleicht also: „Vnnd was von vns sichtbar vff erden geopfert wirt, das vollestu ym himmel mit deinen augen gnedig ans'henn vnd dir gefallen lassen.“

Ad vocem „mysterium fidei“ invenitur nota marginalis: Penetramus fide: daczu dringen wir eigentlich mit dem glauben, mag man auch dewtschenn; ad „Panem sanctum vitae aeternae“: Supersubstantiale panem, id est eum, qui transcendent omnem substantiam. Man mochts dewtschen: ein vberselbstendig brot. Ich hab gesetzt: ein vbernaturlich; ad: Ut quotquot . . . Perceptores, entpfahere.

sacrarum cognitionem et munera ecclesiastica, ut ecclesiis usui aliquando esse possint et sint quod-dam veluti seminarium cleri.

Iam vero quoniam suis stipendiis militat nemo, opera danda est, ut clero sua ex ecclesiis stipendia atque beneficia sint salva. Cumque curata nimis tenuia sint, ineatur ratio, quemadmodum unione aliorum beneficiorum aut alia quadam ratione census ipsorum augeri possit, neque vero tolerandum est, ut concedatur in posterum iis, qui praelaturas gerunt, absentia, ac quia pluralitas beneficiorum dat occasionem absentiae, tenuitas autem pluralitati, locupletentur illa accessione simplicium sacerdotiorum. Quod autem ad doctorum et magistrorum stipendia pertinet, necesse est episcopos extinguere certa beneficia simplicia, ut eorum census in hunc pium usum verti possit. Ac quo viros bonos atque doctos sibi adiungere possint episcopi, res postulare videtur, ut ius habeant conferendi vacantia beneficia in mense apostolico idque per indultum pontificium. Alioquin enim non habebunt, unde illis possint satisfacere.

Quod reliquum est, quia pietatis officium requirit, ut etiam pauperum atque egentium cura habeatur, provideatur, ne eis desint alimenta, in quam rem id quod superest clero conferri debet; consti-tuantur item ptochochoria in civitatibus praeponanturque eis duo viri boni, alter e clero, alter e populo, qui hortentur divites coque adducant, ut iuvent egentes, et ea quae conferuntur custodiant diligenter, ne in aliud, quam quo pertinent usum convertantur.

Rebus hisce constitutis sperandum esset fore, ut ecclesiae Misnensis et Naumburgensis conservari possint hisce periculosissimis temporibus, donec concilium generale in universum ecclesiae Dei consulterit, et quia morbus, ex quo illae languent, gravissimus est, non videtur medicina esse differenda.

### VIII.

#### Iesus

2º. capitulo, Christo, quem propitiatorem habemus per fidem in sanguine eius et per quem habemus accessum ad patrem et per quem omnia nobis bona donantur. — Hic proderit mentionem facere de confessione, quoniam per fidem et sacramenta fidei applicatur nobis meritum passionis Christi.

De operibus bonis vellem amplam fieri mentionem, quae magis prodest populo, quam illae subtiles de fide quaestiones, ac hortandum maxime puto populum ad caritatem, quae est finis praecepti, a Christi prædicationibus sumendum exemplum, qui fere semper de caritate et de bonis operibus concionabatur populo.

3º. Ordinario suo — explicetur: episcopus a pontifice et ceteri clerici ab episcopo confirmati.

4º. Et professione circa quadragesimum annum.

9º. Persuasionis — se potius a sanctis quam a Deo beneficia suscipere.

10º. De purgatorio, ut nihil possit habere impietatis — potius ut multum habeat pietatis.

11º. De missa sine astantibus — addatur: duobus astantibus, ut præcipiunt canones.

## LECTIONES.

### A. ORDINIS THEOLOGORUM.

#### Dr. Julius Marquardt, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Theologiae moralis partem specialem docebit quinques per hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de selectis ethicae christiana capitibus instituet semel per hebd. hora XI.
- III. Historiam litterariam ecclesiae primaevae tradere perget hor. def.

#### Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. Praemissa introductione de Deo ejusque essentia ac divinis attributis, deinde de s. Trinitate disseret quater vel quinques per hebd. hora X.
- II. Repetitorium dogmaticum examinandi et disputandi causa instituet semel per hebd. hora X.
- III. Lectiones offert linguarum Semiticarum, praecipue Hebraicae idioma methodo comparativa illustrantes semel vel bis per hebd. hor. def.

#### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam primaevae ecclesiae quater hebd.
- II. historiam ecclesiasticam novissimi temporis semel hebd. enarrabit hora IX.
- III. De arte christiana disseret semel hebd. hora IX.

#### Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductionem generalem in Veteris et Novi Testamenti libros dabit horis deff.
- II. Jobi librum interpretabit ter per hebd. hora VIII.
- III. Evangelium secundum Lucam explicabit ter per hebd. hora VIII.

#### Dr. Ant. Kranich.

- I. Priorem partem apologeticas docebit bis per hebd. hora VII.
- II. Hymnologiam tradet semel vel bis per hebd. hora IX.

## B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

---

### Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O., h. t. decanus.

- I. De poesi lyrica Graecorum disseret selectaque Pindari carmina cum commilitonibus leget ter hebdomade h. IX.
- II. Inscriptiones cum graecas tum latinas interpretabitur ter hebdomade h. IX.
- III. Exercitationes latine loquendi moderabitur h. def.

### Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebd. hora XI.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, enarrabit bis per hebd. hora XI.
- III. De linguae theodiscae cum aliis linguis cognatione disseret semel vel bis per hebd. hora XI.

### Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

- I. Selecta physices capita tractabit ter hebd. hora VIII.
- II. Principia chemiae docebit bis hebd. hora VIII.
- III. Calculum differentiale et integralem tradet horis def.

### Dr. Jos. Krause, P. P. O.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit bis per hebd. hora X.
- III. De arte catechetica disseret hor. def.

---

## Publica Doctrinae subsidia.

---

- I. Bibliotheca, cui praeest Prof. Dr. Weiss, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II – III.
  - II. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat Prof. Dr. Killing.
  - III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit Prof. Dr. Weissbrodt.
-

**Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii  
Hosiani anno superiore inito et quaeſtionum in annum currentem  
propositarum promulgatio.**

**Ordo Theologorum** pro certamine litterario has proposuerat quaeſtiones:

- I. Ex instituto Regio: Enarretur vita Samuelis prophetae et ex historia illius temporis illustretur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De s. Hieronymo vitae monasticae patrono ac defensore.

De priori quaeſtione commentatio tradita est Ordini his inscripta verbis: „In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est“. Ecclesiasticus 48, 15.

Scriptor hujus commentationis quamquam multa congeſſit, quae cum re proposita minus arcte cohaerent, et saepius sermone usus est parum emendato, in universum tamen non sine proſpero ſuccetu operam dedit, ut prophetae vitam ejusque de populo Israelitico merita deſcriberet et ex libris veteris testamenti aliisque fontibus diligenter inspectis illustraret. Quamobrem ab Ordine praemio instituto non indignus habitus est.

Schedula reclusa nomen prodiit: Otto Franc. Hinzmann, stud. theol.

De altera quaeſtione diſſertatio Ordini oblata est s. Hieronymi (cp. LXVI, 7) insignita verbis: „Parva dimiſimus et grandia poſſidemus“.

Quam qui exaravit, defensorem vitae monasticae s. Hieronymum leviter tantum carptimque, patronum vero laudabili diligentia et arte depinxit sermoneque ſatis expeditio et plerumque polito. Atque imprimis hujus partis praefantiae ratione habita Ordo Theologorum opusculum praemio ornare non dubitavit.

Aperta charta innotuit:

Georgius Matern, stud. theol.

**Ordo Philosophorum** certare iuſſerat Commilitones de quaeſtione:

Ea psalmorum loca, quae de rerum natura agunt, breviter explicentur.

Commentatio ordini ſubiecta est una, his verbis insignita:

Schön ist, Mutter Natur, deiner Erfindung Pracht  
Auf den Fluren verſtreut, schöner ein froh Gesicht,  
Das den großen Gedanken  
Deiner Empfindung noch einmal deckt.

(Klopſtock, der Zürcherſee.)

Quam qui conſcripsit, loca, quae ad rem pertinent, diligenter congeſſit et plerumque ſatis recte explicavit, quam ob rem ordo praemium ei adiudicavit.

Aperta ſchedula nomen prodiit:

Franciscus Nowowieski, stud. theol.

In annum currentem Ordo Theologorum pro certamine litterario has quaeſtiones proposuit:

- I. Ex instituto Regio: Qualem in propagatione generis nostri originem anima hominis habeat, expositis diiudicatisque variis ea de re opinionibus ostendatur.
- II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De signi s. crucis in cultu divino vi et usu diſputetur.

Ordo philosophorum commilitones praemii Regii cauſa iubet

de Christianorum ſepuleris ac titulis ſepulcralibus

differere. Certantium commentationes sermone latino scriptae et more conſueto ſignatae ante diem Nativitatis Domini a. c. Rectori tradendae ſunt.